

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Invste, Deo  
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 9. Honoribus homines conciliari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](#)

suetum ad laborem, quem post quinque millia  
passuum cunctantem equo sedere iussit. Cumq;  
post duas mansiones equo etiam fatigatus esset,  
carpentio imposuit. Hoc quoque respuentem, ac  
Imperium tadio laborum recusantem; deniq;  
& mori paratum dimisit, ac militibus, à quibus  
Cæsar præcipue diligebatur, commendatum, ad  
villas suas tutò abire iussit. Sic illi demonstra-  
uit, quid esset, gerere Imperium. Nimurum si-  
milis musto absinthium habenti est omnis  
dignitas, qua vel est dulcis amarities, vel  
amara dulcedo. Hæc mixtura nisi esset, vel-  
lent omnes imperare; nunc labor multos  
absterret; qui rursum nisi & mel suum ha-  
beret adiunctum, Imperium plerique detre-  
starent. Sapienter Saturninus, hortantibus Brus. lib;  
militibus, ut Imperium susciperet, aiebat, 3. cap. 13.  
*Nescitis, o milites, quantum mali sit imperare;*  
*gladij ut appendentes ceruicibus immineant: ha-*  
*sta vndique, spicula, ipsi custodes timentur; ipsi*  
*comites formidantur; non cibus pro voluntate;*  
*non iter pro authoritate; non bella pro judicio;*  
*non arma pro studio.*

## §. IX.

*Honoribus homines conciliari.*

6. Mille sunt modi, quibus homo homi-  
nem potest offendere, inter præcipuos au-

Luc. 23,  
12.

tem est, quo eumdem solet placare, si verbis  
Iæsum, verbis rursum sanet; loco vituperij  
laudes reponat. Quemadmodum enim nu-  
trices vagientibus pueris rursum apponunt  
papillam; ita is, qui offensus est contume-  
liâ, rursus laude subleuatur, honoribus sa-  
natur. Miserat Pilatus Christum Domi-  
num ad Herodem, quia cognouerat, quod  
*de Herodis potestate esset*: obquem honore,  
*facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die;*  
*nam antea inimici erant ad iuicem.* Quin &  
subditi honoribus deliniuntur, ut iugum  
subiectionis æquiùs ferant. Non enim pu-  
tant se seruire, si sentiant honorari. Quam-  
obrem interrogatus Apollonius à Babylo-  
niæ rege, quo modo tutò regnare posset?  
respondit, *Si multos honoraueris.* Discunt  
enim vicissim regem honorare, qui, quid sit  
honorari, experiuntur. Neque sanè habent  
maiorem mercedem, quam virtuti aliorum  
reponant, honore, quo præclara illorum  
facta venerentur; præsertim apud eos,  
qui nebulas in pariete solent  
adorare.

CAPVT